proficiendi feruorem, ut quidam ait deponebant, sed veluti ex-
peditissimi cursores non passibus, sed cursibus ad perfectionis
properarent metam. Fateor non sine gemitu, hoc commemo-
ro, commemoranda sunt tamen. Quid igitur obsecro expe-
ctandum? quid nisi totius universi corruptio? et violentus
conditarum rerum interitus? Nisi hanc horrendam calami-
tatem, has cymmerias tenebras, lux quaedam, et radius quam
necessarius! disturbaret. Incipit nunc AA. hilarescere oratio
mea, nisi inquam admirabilis illa rerum conseruatrix pro-
videntia, earumque sollicita curatio, et ut sic dicam visita-
tio à certa pernicie ad salutem certissimam, à miserijs ad
felicitatem, à desperatione ad spem, à morte ad vitam cun-
cta revocaret, hac hoc est medicina, quae tantum boni af-
fert, quantum illius adversaria pestis mali; tantum commodi
quantum illa detrimenti. Hoc corruptioni subijcit, illa im-
mortalitate afficit. hoc interitum machinari, illa perpetu-
itatem desiderat; illi soli in acceptis referre debemus, quod
et num sint, quae sunt, illa sc. gemma, metallaque alia, si
sorti militaris, Politicaeque disciplina destituta non fuissent
violentam quoque instabilitatem non sensissent, aut si sensissent,
vulnus opinor medicabile, non extremum vidissent interitum.
illius incredibili efficacia sc. Monasteria carere nunquam volu-
issent, tantam disciplina, honorum, famae opumque iacturam
passi nentiquam fuissent, sola providentia, continuaque sol-
licitudo restituit, quod negligentia deperdidit, sola providen-
tia, industriaque stabilit, quod incuria concutit, sola provid-
entia, diligentiaque in aeternum conservat, quod desidia mo-

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%2085v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%2085v)